Q. D. B. V.

INCLITAE ACADEMIAE

# FRIDERICAE ALEXANDRINAE

# ERLANGENSI

## SACRA SAECULARIA PRIMA

D. XXIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII

CELEBRANDA

AMICA MENTE GRATULATUR

# GEORGIA AUGUSTA

INTERPRETE

***CAROLO FRIDERICO HERMANNO,***
ELOQUENTIAE P. P. O.

*Inest disputatio de loco Apollinis in carmine Horatii saeculari.*

GOTTINGAE
TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

1843

Saecula jam septem stetit urbs Mavortia Roma,
Carmine quum festo coeptus Apollo coli,
Quaeque diu tetri divos placaverat Orci,
Tutanda est nitido tradita turba deo.
Tum velut atra novo concedunt nubila soli,
Funestae rixae diffugiunt tenebrae,
Arma interna cadunt, redeunt Saturnia regna,
Magnus ab integro surgit in orbe dies,
Jamque fides et pax et honor neglectaque virtus
Apparent pleno copiaque alma sinu:
Nec modo civiles sapienter composuit res
Contigui Phoebo sedula cura ducis,
Sed quem longa semel claudi sivere pericla,
Augustus Janum claudere ter potuit.
Tanta dei virtus, quo Musae praeside gaudent,
Grataque doctorum quem colit arte cohors!
Non is tristium amat discordia semina rerum,
Nec teneras aures dissona bella juvant:
Ast ubi depositis siluerunt Martia telis
Murmura, pax votis expetiturque piis,
Paciferum Phoebi vultu radiante sereno
Numen adest lauruque expiat arva sacra:
Dein fidibus mentes bene permulcentibus aegras
Erigit in celsos lumina fixa polos,
Utque ardet variis sol terris omnibus idem,
Consilium studiis omnibus addit idem.

Raro prima tamen Phoebeo clara nitore
  Saecula, nec noctem Lucifer ante venit:
Orbi rectorem propria de stirpe daturus
  Parvulus eversa Julus ab urbe fugit,
Templaque secretis donata Penatibus Albae
  Longa Palatina separat aede dies;
Ipsa gravem gestans gemino Titania ventrem
  Pondere Junonis sensit inops rabiem,
Fasque novum mundo spondens Latonia proles
  Os puerile vago protulit in scopulo.
Te quoque, bis denis lustris, Erlanga, peractis
  Quae recolis grata mente statoris opus,
Nascentem ambiguorum excepit pugna deorum,
  Martis et incursu pressa Minerva fuit:
Inque vices regum sortes versantibus undis,
  Fortunae casus cum dominis varias.
Tandem emersisti, certoque recepta phaselo
  Laeta ducis vultus astraque fausta vides;
Magna licet sperare; tuus jam regnat Apollo,
  Propitiumque umbras dissipat axe jubar.
Firma modo cursum, quem nunc sectare, teneto,
  Caeca nec aetheriae vela fer ante faci:
Te sibi sacravit praesens statuitque perennem
  Custodem superi muneris ipse deus;
Nutrito flammam, quae dum nutritur, et ipsam
  Nutricem salvam reddere salva potest!

---

Est sane quod miremur, in tanta studiorum concertatione, qua et dudum docti interpretes carmen Horatii saeculare explanarunt et nuper de intimis ejus causis quaeri coeptum est, neminem sibi data opera exponendum sumsisse, cur tam praecipuae in eo cantico Apollinis et Dianae partes sint, ut reliquorum deorum honores prae his duobus plane evanescere videantur. Ad illos enim in extrema demum stropha satis leviter oratio convertitur; quae autem praeterea invocantur numina, ut Sol, Luna, Ilithyia, Parcae, Tellus, naturalium virium personificationes exhibent, quas allegorico potius et poëtico sensu quam religioso appellari dixerim, ita ut etiam quae ab his expeti videantur, proprie Apollinem et Dianam auctores habeant eodem fere modo, quo apud Persium Sat. II. 45 Mercurius imploratur, ut *det fortunare Penates*; cf. et Comm. Cruqu. ad v. 25: *invocat autem Parcas post Apollinem, quia Apollo fatis praeest*; immo plurimas earum ad ipsas Apollinis aut Dianae personas referri posse Catulliani carminis comparatio XXXIV. 13 sqq. docebit, nec si vel maxime peculiares sibi religiones Romae aut in ipsis saecularibus Tellus, Parcae, Lucina habebant, exaequari certe harum honores cum illis duobus quisquam contendet, qui aut integrum carmen legerit aut libri IV odam sextam respexerit, qua velut praeludens saeculari Horatius summum hujus argumentum in Phoebi et Noctilucae laude posuit. Atqui horum in antiquis Romanorum religionibus exiguas, in ludis saecularibus ante Augustum nullas partes fuisse satis constat. Nam ut de his primum agamus, hanc saecularium ludorum originem tradit Valerius Maximus II. 4. 5: *Quum ingenti pestilentia urbs agrique vastarentur, Valesius vir locuples rusticae vitae, duobus filiis et filia ad desperationem usque medicorum laborantibus, aquam calidam iis a foco petens, genibus nixus Lares familiares ut puerorum periculum in ipsius caput transferrent oravit. Orta deinde vox est, habiturum eos salvos, si continuo flumine Tiberi devectos Tarentum deportasset ibique ex Ditis Patris et Proserpinae ara petita calda recreasset. Eo praedicto magnopere confusus, quod et longa et periculosa navigatio impe-*

*rabatur, spe tamen dubia praesentem metum vincente pueros ad ripam Tiberis protinus detulit (habitabat enim in villa sua propter vicum Sabinae regionis Eretum) ac lintre Ostiam petens nocte concubia ad Martium campum appulit, sitientibusque aegris succurrere cupiens, igne in navigio non suppetente, ex gubernatore cognoscit haud procul apparere fumum. Et ab eo jussus egredi Terentum (id ei loco nomen est) cupide arrepto calice aquam flumine haustam eo unde fumus erat obortus jam laetior pertulit, divinitus dati remedii quasi vestigia quaedam in propinquo nactum se existimans; inque solo magis fumante quam ullas ignis habente reliquias, dum tenacius omen apprehendit, contractis levibus et quae fors obtulerat nutrimentis pertinaci spiritu flammam evomuit calefactamque aquam pueris bibendam dedit. Qua potata, salutari quiete sopiti, diutina vi morbi repente sunt liberati, patrique indicaverunt vidisse se in somnis nescio a quo deorum spongia sua corpora pertergi et praecipi, ut ad Ditis patris et Proserpinae aram, a qua fuerat potio ipsis allata, furvae hostiae immolarentur lectisterniaque et ludi nocturni fierent. Is quod eo loci nullam aram viderat, desiderari credens ut a se construeretur, aram emturus in urbem perrexit, relictis, qui fundamentorum constituendorum gratia terram ad solidum foderent. Hi domini imperium exsequentes quum ad viginti pedum altitudinem humo egesta pervenissent, animadverterunt aram Diti Patri Proserpinaeque inscriptam. Hoc postquam Valesius nunciante servo accepit, omisso emendae arae proposito hostias nigras, quae antiquitus furvae dicebantur, Terenti immolavit ludosque et lectisternia continuis tribus noctibus, quia totidem filii periculo liberati erant, fecit. Cujus exemplum Valerius Publicola, qui primus consul fuit, studio succurrendi civibus secutus apud eandem aram publice nuncupatis votis caesisque atris bubus, Diti maribus, feminis Proserpinae, lectisternioque et ludis trinoctio factis aram terra, ut antea fuerat, obruit.* Neque aliter Zosimus II. 1 sqq. nisi quod aliam fabulam addit, quo pacto ipsa illa ara sub terram condita sit; gravius autem est, quod posterius quoque anno u. c. CCCLII, quum ipsorum librorum Sibyllinorum jussu hi ludi repeterentur, solis diis inferis sacra facta esse testatur: *ἀναζητήσαντες τὸν τόπον Ἅδῃ καὶ Περσεφόνῃ κατὰ τὸ προσταχθὲν καθήγισαν, Μάρκου Ποτίτου τὸ τέταρτον ὑπατεύοντος, καὶ τῆς ἱερουργίας συντελεσθείσης τῶν ἐπικειμένων ἀπαλλαγέντες τὸν βωμὸν αὖθις ἐκάλυψαν, ἐν ἐσχάτῳ που κείμενον τοῦ Ἀρείου πεδίου*: idemque confirmat Festus s. v. *saeculares ludi* et Varro de scenicis originibus libro primo apud Censorinum de die natali c. 17: *quum multa*

*portenta fierent et murus ac turris, quae sunt intra portam Collinam et Esquilinam, de coelo essent tacta, et ideo libros Sibyllinos decemviri adiissent, renunciarunt uti Diti Patri et Proserpinae ludi Terentini in campo Martis fierent et hostiae furvae immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent,* unde liquido apparet, neque Sibyllinis libris ante Varronem neque ipsi Varroni quidquam de loco Apollinis in ludis saecularibus notum fuisse. Fuerunt sane Romae Apollinares quoque ludi, sed sero instituti Q. Fulvio Ap. Claudio Coss. a. u. c. DXLI iique annui, cf. Liv. XXV. 12, XXVII. 23; neque ullo fundamento nititur Jesuitae nescio cujus suspicio a Taffino de anno saeculari I. 3 commemorata iterumque proposita ab Ayrmanno de ludis Romanorum saecularibus, Vitemb. 1717, *alios ab initio fuisse ludos Terentinos, alios saeculares, sed communi tandem nomine permixtos, ut Terentini quidem Diti et Proserpinae, saeculares Phoebo et Dianae potissimum sacri fuerint, Terentinique nonnisi nocte et furvis hostiis peragerentur, saeculares laetitiae et publicae gratulationis essent,* cujus duplicitatis si vel minimum vestigium in literis Romanis exstitisset, Censorinum diligentissimum auctorem profecto non fugisset; cf. Idelcr. Handbuch d. Chronologie T. II, p. 89. Nam quod is duplicem opinionum seriem de antiquis saecularium temporibus proposuit, alteram ex rerum scriptoribus, alteram ex quindecimvirorum commentariis petitam, recte jam ipse Taffinus II. 2 cum Petavio Doctr. tempp. II. 76 intellexit, posteriorem, quae per certa annorum intervalla procedit, *eos sacerdotes non ex veteribus fastis didicisse, sed sub Augusto demum ex ingenio et opinione sua ita constituisse, ut per centenos denos annos redirent et Augusti saecularibus congruerent;* duo ludorum genera fuisse, quorum alteros quindecimviri, alteros Valerius Antias literis mandaverit, quo etiam Klausenii sententia vergit Aeneas und die Penaten p. 264, eo minus probabile est, quod et Terentini ludi, ut vidimus, ad quindecimvirorum libros pertinebant, Apollinares autem ludi, qui cum his confundi potuissent, prioribus saeculis omnino nulli fuerunt. Probabilior est Sanadonis suspicio ad Horat. T. III, p. 140 edit. Amstel., ipsis annis saecularibus annos ludos Apollinares cum Terentinis quasi coaluisse: *on les célébroit tous les ans, mais ils n'étoient point distingués des jeux séculaires l'année, qu'on représentoit ceux-ci;* certe saeculares quoque ludos aestivo tempore circa messem factos esse, quo etiam Apollinares a. d. III Nonas Quinctiles agebantur, et Zosimi verba docent II. 5: κατὰ τὴν ὥραν τοῦ θέρους πρὸ ὀλίγων ἡμερῶν ἢ τὴν θεωρίαν ἀχθῆναι, et Claudiani de VI. Cons. Honor. v. 388:

*— jam flavescentia centum*
*Messibus aestivae detondent Gargara falces,*
*Spectandosque iterum nulli celebrantia ludos*
*Circumflexa rapit centenus saecula consul;*

neque aut circus Flaminius, in quo ludi Apollinares acti sunt, a campo Martio, quem saecularibus locum Zosimus tribuit, aut ipsum Apollinis templum a Terento procul abfuit, cf. Urlichs das römische Marsfeld p. 5 sqq.; attamen hoc quoque in sola conjectura positum est, nec si vel maxime verum Sanado viderit, prius id factum esse arbitror, quam Augustus ipsi Apollini eum locum dedisset, quem in Horatii carmine saeculari obtinet. Scilicet liberae reipublicae aetate omnino non is erat Apollo, cui *septem colles placuisse* dici possent; quem antequam in ipso Palatio Augustus consecrasset, unum Romae delubrum idque extra pomoerium in campo Flaminio habuisse insigni testimonio constat doctissimi hominis Asconii Pediani ad Cic. orat. in toga candida T. II, p. 90 ed. Orell.: *ne tamen erretis, quod his temporibus aedes Apollinis in Palatio fuit nobilissima, admonendi estis, non hanc a Cicerone significari, utpote quam post mortem etiam Ciceronis multis annis imperator Caesar, quem nunc divum Augustum dicimus, post Actiacam victoriam fecerit; sed illam demonstrari, quae est extra portam Carmentalem inter forum olitorium et circum Flaminium; ea enim,* inquit, *sola tum demum Romae Apollinis aedes,* ejusque auctoritatem quamvis ad nostram usque aetatem multi antiquitatis Romanae enarratores aut neglexerint aut vilipenderint, accuratior rei consideratio omnino confirmat. Et primum quidem quod in ipso Capitolio Apollinis templum posuerunt Marlianus, Fabricius, alii, nulla antiquioris testimonii auctoritate niti recte jam monuit Justus Rycquius de Capitolio Romano I. 7; quos sive Gellius movit, qui N. A. V. 12 *aedem Vejovis Romae inter arcem et Capitolium* fuisse tradit, eundem vero deum *plerosque Apollinem dixisse* ait, ineptae mythologorum quorundam comparationi in vetusta religionum nomina nullam vim esse apparet, sive illud secuti sunt, quod Strabo VII, p. 319 Lucullum narrat Apollinis colossum ex urbe Apollonia sublatum in Capitolium transtulisse, is ornamenti potius quam religionis gratia positus est; Fabricius denique quem p. 99 *Apollinem Capitolinum* appellat, non alium esse quam cujus aedem p. 268 *sub Capitolio* commemorat, ipsius verba docent: *divae Mariae sub Capitolio inter forum holitorium et circum Flaminium, extra portam olim Carmentalem, ut ait Asconius.* Is igitur claris verbis ipsi Asconio astipulatur, cujus templum radices

Capitolini montis attigisse ejusdem descriptio satis probat; aliud autem praeter hoc in ipso Capitolio fuisse nec Dionis Cassii verba evincunt, quae nuper a se reperta Angelus Majus Rycquio opposuit Scriptt. vett. nov. coll. T. II, p. 185: ὅτι χρησμός τις τῆς Σιβύλλης τοὺς Ῥωμαίους ἐδειμάτου φυλάξασθαι τοὺς Γαλάτας δεῖν κελεύων, ὅταν κεραυνὸς εἰς τὸ Καπιτώλιον πλησίον Ἀπολλωνίου κατασκήψῃ: ubi mihi certe nihil impedire videtur, quominus idem templum ad imum montem situm intelligamus, prope quod ipse mons coelesti igne tactus sit. Neque enim illud nos movere potest, quod idem ille misellus compilator Fabricius parum sibi ipse constans mox p. 100 et 240 eandem aedem *Apollinis in circo Flaminio* cum Flavio Blondo et Pomponio Sabino, si diis placet, *prope turrim sanguineam non longe a S. Augustino* collocat, quousque nunquam campus Flaminius pertinuit; nimirum induxit illos nomen Sancti Apollinaris, cui ibidem prope circum Agonalem templum dedicatum est; quod etsi plerique periegetae ad hunc usque diem veteri Apollinis templo ab Hadriano I Papa superpositum narrant (Vasi p. 308; Fea p. 549), nullum tamen ejus generis vestigium apud antiquos in illis regionibus invenitur. Itaque haec, ut diximus, omnia ad unum Asconianum redeunt; neque alia causa esse videtur ejus delubri, quod Donatus Rom. vet. et rec. III. 17 ex Plinii Hist. nat. XXXVI. 5 ad porticum Octaviae retulit eumque secutus Adlerus Beschr. d. Stadt Rom p. 304 vel Metellum Macedonicum condidisse fabulatur: *Metellus, der Macedonien besiegt hatte, liess zween Tempel anlegen, davon der eine der Juno, der andere dem Apoll geweihet war*; licet Jovis potius Statoris templum una cum Junonis Metelli porticu comprehensum fuisse jam a Vitruvio III. 1 discere posset, cujus auctoritatem etiam basis Capitolina confirmat, cf. Sachse Gesch. u. Beschr. d. Stadt Rom T. I, p. 537 et Ann. dell' Inst. di corrisp. archeol. T. X, p. 9 sqq. Unice recte Urlichsius l. c. p. 37, postquam de Octaviae porticu egit, quam in Metellinae locum successisse constat: *nach dem Capitol zu*, inquit, *war das nächste Gebäude jener oben erwähnte Tempel des Apollo, welcher den Hallen der Octavia sehr nahe gestanden zu haben scheint*, ibidemque in margine Plinii verba scite ita explicat, ut delubrum Apollinis *ad* Octaviae porticum a Junonis aede *intra* eandem sedulo distingui moneat, quod qui tenuerit simulque utriusque aedificii situm probe cognoverit, ne hic quidem dubitare poterit quin Plinii testimonium cum Asconio conveniat. At enim, inquiunt, in Quirinali certe monte novimus *Apollinis et Clatrae templum* ex regionariis antiquis, idque satis antiquum esse Argeorum sacro-

rum recensio demonstrat apud Varronem L. L. V. 52, ubi ex Odofredi Mülleri, immortalis memoriae viri, emendatione nunc sic legitur: *collis Salutaris quarticeps, advorsum est Apollinar cis aedem Salutis*; cf. ejusdem disputationem zur Topographie Roms in Böttigeri Archaeologie und Kunst, Vratisl. 1828. 8, p. 89. Audio, novique hanc emendationem etiam Bunsenio, intelligentissimo harum rerum arbitro, adeo arrisisse, ut eam vel suae ipsius: *adversum est pulvinar*, praeferret, cf. Beschr. d. Stadt Rom T. I, p. 698; idem tamen mox haec subjungit: *ich bemerke jedoch, dass man von keinem alten Heiligthume des Apollo auf dem Quirinale, ja eigentlich nur durch Victor und Rufus von irgend einem hier gelegenen Heiligthume Apollinis et Clatrae Kunde hat, und die Auctoritäten für die Benennung des Theils vom Quirinal, welcher über Fontana Trevi liegt, nach dem Giardino del Papa zu, mit einem noch im sechzehnten Jahrhundert üblichen Namen Clatra wirklich etwas verdächtig — man möchte sagen klatrig sind, da der urkundliche Name Catrica ist, ein Wort, nicht unverständlicher und unerklärlicher, als viele andere des späten Mittelalters*; nec si quis ipsa illius emendationis fundamenta respiciat, vel a codicum Mstorum vestigiis vel ab ipsius vetustatis testimoniis adeo firmari inveniet, ut aut in ordinem recipi aut sine circuli periculo quidquam inde de Apollinis cultu Romano concludi potuerit. Nempe ut ab historicis argumentis ordiamur, ita Müllerus apud Böttigerum disputat: *der Tempel des Apollo und der Clatra war freilich wohl jünger als das Apollo-Heiligthum auf den Flaminischen Wiesen; doch kann Asconius nicht Recht haben, dass dies noch zu Cicero's Zeit das einzige in Rom gewesen sey; denn wer hätte wohl in der Kaiserzeit der ganz obscuren (sonst nur auf dem bekannten Denkmale mit der Inschrift Lerpirior Santirpior u. s. w. vorkommenden) Clatra einen Tempel gebaut? Dies Heiligthum lag nach Victor und Rufus in alta Semita und aus älteren Topographen Roms wird versichert, dass der Ellenbogen, den der langgestreckte Quirinal etwa gegen die Mitte bildet, noch über das Mittelalter hinaus den Namen der Clatra getragen habe.* His vero facili negotio et illud opponi potest, Victoris et Rufi, qui dicuntur, fere nullam amplius fidem esse, nec Clatrae illius, quam hi consortem Apollini junxerunt, aut nomen aut cultus apud veteres aliqua vestigiorum firmitate nititur. De regionariis verbo defungi licet post Bunsenium l. c. T. I, p. 173; quos, ut Beckeri verbis utar de Romae veteris muris atque portis, Lips. 1842. 8, p. 12, *subditicios esse aut ita certe interpolatos, ut vera a falsis nullo modo distingui*

*possint, ita certum est et exploratum, ut nullus jam eorum debeat esse usus;* illud tantum addo, neque in regionario Einsidelensi, quod summa cum fide edidit Haenelius in Jahnii Archiv f. Philologie T. V, p. 132 sqq., neque in descriptione Urbis apud Pancirollum, quem genuinum subditiciorum illorum libellorum fontem esse acute Bunsenius monuit, de Apolline et Clatra in regione sexta quidquam apparere, ut vix dubitari possit, quin eorum templum ab Onuphrio Panvinio demum vel quocunque alio intrusum sit, qui id apud suae aetatis topographos commemorari vidisset. Ne enim hos ex antiquo potius auctore hausisse, quam hunc ex illis corruptum atque interpolatum esse statuamus, non illud modo vetat, quod ipsi nullum auctorem excitant — hoc enim etiam alibi raro faciunt — verum etiam quod locum in ipso Quirinali accurate distinguunt, quem ex regionariis certe petere non poterant; ut v. c. Marlianus p. 122: *templum Apollinis fuit in ea parte Quirinalis, quae in portam Flumentanam versa mons Apollinis et Clatrae est dicta*, et Andreas Fulvius p. 136: *unde initium altae Semitae per dorsum Quirinalis versus septentrionem, ubi a sinistris sunt colles et valles veluti montis appendices et imprimis mons cum templo Clatrae et Apollinis, qui plurimus imminet regioni ac fontibus Trivii, ubi nunc est palatium et vinea R. D. Oliverii Carafae Cardinalis quondam Neapolitani*, unde facile apparet hos veterem potius famam ac rumorem popularem secutos esse, cui quantum putidissimorum errorum in topographia urbis aeternae debeatur, peritos pluribus moneri non opus est. Ea vero fama si quaerimus quibus vestigiis nitatur, ne Nardinus quidem IV. 6 extr. plus novit, quam illorum hominum aetate collem Clatrae appellatum esse idemque nomen corruptum in Papae cujusdam constitutione reperiri: *il tempio d'Apollo e di Clatra dea de' cancelli e delle ferrate scrivono il Fulvio ed il Marliano esser stato in quella parte del Quirinale, ch' alla fontana di Trevi sovrasta, cioè à dire nel cubito del colle, dove è hoggi parte del Palazzo e del Giardino del Papa, la quale parte dicono esser stata à loro tempi detta Monte di Clatra; il medesimo nome corrotto si legge nella Costituzione di Giovanni Papa terzo* quoniam etc. *portata nella sua Roma sacra dal Martinelli, ove tra i confini assegnati alla Parocchia della Chiesa de' Santi Apostoli si legge:* deinde ad dextram extenditur juxta latus montis supra Catricam etc., *la qual Catrica per corrotto nome di Clatra dal Martinelli eruditamente s' espone;* eamque ipsam constitutionem falsam esse arguit Urlichsius in Bunsenii Beschreibung T. III, P. 2, p. 391; quae quum ita sint, videndum ne propius ad verum conducat Fa-

bricii narratio p. 56: *Quirinalis alio nomine Agonius vel Agonensis et in quadam sui parte mons Clatrati Apollinis*, quam secuti haud scio an non modo Clatra illa nescio qua cancellorum dea defungamur, verum etiam de Apolline longe aliter statuere possimus, ac Müllero cum regionariorum interpolatoribus visum est. Clatram certe ne inscriptione quidem illa, quam Müllerus adhibet, tutam esse apparet ex Orellii Inscr. Lat. ampl. collectione T. II, p. 435, ubi jam Maffejum, emunctae naris hominum, de ejus auctoritate dubitasse legimus, ut quam a Ligorio fictam esse veri simillimum sit, nec si vel maxime genuina esset, figura panthea cum insignibus partim Dianae partim Isidis (Spon. Misc. erud. antiqu. p. 87) eam antiquitatem testaretur, quam Argeorum sacrificia referunt; *Clatratus* autem Apollo eodem modo dici poterat, quo *Sandaliarius* apud Sueton. V. Octav. c. 57, aut *Tortor*, quo cognomine is deus, eodem teste c. 70, quadam in parte urbis colebatur, cf. Böttiger. kl. Schr. T. I, p. 58, h. e. signum aliquod vici ornandi causa in publico positum, quod a cancellis, quibus ab injuriis plebeculae defenderetur, clatrati cognomen duxit, idque nomen fortasse etiam in vicum transtulit, unde medio demum aevo Clatra dea toti antiquitati ignota excusa est. Sed haec in conjectura tantum posita sunto; illud tamen pro explorato affirmare audeo, nec regionariorum testimoniis neque inscriptione illa Sponiana quidquam de Apollinis sacello in Quirinali monte liberae reipublicae temporibus conspicuo firmari; neque ab hac parte destituta correctio Mülleri a codicibus Varronis majorem confirmationem accipit. Solus enim Gothanus, sexti decimi saeculi liber, ipsoque Müllero teste interpolationibus inquinatus, cujus praeterea fidem callida antiquioris scripturae imitatio summopere labefactat, habet *polinar*; optimus Florentinus itemque Hafniensis et Parisinus consentiunt in *pilonar*, unde priores alii *pila naris*, alii *pila honoris* exsculpserunt, Bunsenius autem *pulvinar* legendum esse conjecit, eamque lectionem ego quoque cum Ambroschio (Studien und Andeutungen im Gebiet des altrömischen Bodens und Cultus, Vratisl. 1839. 8, p. 171) amplecti nullus dubito, hoc tantum modo adhibito, ut *Solis* vocabulum, quod illi ex Quinctil. I. 7. 12 subintellexerunt, ipsis verbis addi malim. Nempe nescio quomodo claudicat illud *advorsum est*, longeque praestare videtur *advorsum* pro praepositione haberi ut *cis* et *uls*, quas Mülleri acumen ex Codd. vestigiis elicuit; hoc igitur ut fiat, pro *est* fidenter restituo *Solis*, quod si per compendium scriptum erat *sl'*, facile transire poterat in *st*, quod vel nunc diligentes veteris scripturae sectatores in elisione vel ecthlipsi pro *est* ponere videmus, eoque facto

integrum locum sic lego: *collis Salutaris quarticeps advorsum Solis pulvinar cis aedem Salutis*, non *Apollinar*, quo nomine vel nunc unum tantum locum novimus, de quo Liv. III. 63, in pratis Flaminiis, ubi postea eadem illa aedes Apollinis dedicata est, quam Asconius ante Augustum solam Romae fuisse tradidit. Obscurior ratio est *arae Apollinis*, quam P. Victor in prima regione apud portam Capenam ponit, quia hujus certe apud Pancirollum quoque mentio exstat, nisi quod ibi *area* potius legitur, eamque lectionem praestare id quoque suadet, quod ipse Victor *Spei* et *Gallo*, quorum *areas* descriptio apud Pancirollum cum Apollinis area conjungit, itidem *areas* tribuit; sed haec ut ut sint, aedem Apollinis, qualem Sextus Rufus substituit, illo loco nullam agnoscimus, nedum Ciceronis aetate exstitisse credimus, mirumque in modum erravit Hartungius die Religion der Römer nach den Quellen dargestellt T. II, p. 206, qui quum Asconii testimonium prorsus ignoraret, illudque templum, quod Liv. VII. 20 dedicatum esse tradit, ab eo, quod idem IV. 25 et 29 memorat, distingueret, eo delapsus est, ut alterum horum ante portam Capenam fuisse narraret! Atque hoc profecto sanior Sachsius l. c. p. 337, postquam aedem Apollinis in pratis Flaminiis a. u. c. CCCXXI propter pestilentiam pro valetudine populi votam esse narravit, ita pergit: *dieser Tempel wurde zwei Jahre später, nemlich im Jahre 323 von dem Consul C. Julius Manto in Abwesenheit seines Collegen Quinctius Pennus Cincinnatus, und ohne um diese Ehre gelooset zu haben, eingeweihet; eine Verletzung der Verfassung und heiliger Gebräuche, worüber sich dieser damals sehr stark, obwohl vergeblich beklagte, die aber doch eine zweite Einweihung im J. 401 nöthig gemacht zu haben scheint;* longe tamen simplicior est Klausenii sententia Aeneas und die Penaten p. 1100, priscam illam aedem in campo Flaminio per Gallici incendii occasionem periisse, quumque ante muros posita esset, non antea refectam esse, quam et domi et foris res Romanae in tutiorem pacatioremque statum rediissent. Suadet hoc etiam ipse nexus, quo illa dedicatio apud Livium narratur: *legionibusque Romam reductis reliquum anni muris turribusque reficiendis consumtum et aedes Apollinis dedicata est*; nec si occasionem quaerimus, qua Romani de instaurandis dei averrunci religionibus admoneri potuerunt, deest pestilentia annorum CCCLXXXIX et CCCXC apud eundem VII. 1, cui avertendae quum novae ceremoniae reciperentur, nec veteres negligi consentaneum erat; sive autem haec sive quaecunque alia causa templi iterum dedicandi fuit, illud certe vel ipsa Livii brevitas et de loco silentium vetat, ne aliud hoc censea-

mus, quam quod anno CCCXXI votum vel Ciceronis aetate, si Asconium audimus, solum Romae fuit. Mittimus templum Apollinis in monte Vaticano apud Nardinum VII. 13, p. 479, quod si unquam exstitit, imperatorum demum aetate conditum est, itemque Apollinem Monetae in numis Commodi apud Vaillant. T. I, p. 96; T. II, p. 182 et Patin. p. 209; ad liberae reipublicae tempora unum tantum pertinet testimonium, quod Asconio probabiliter opponi possit, apud Liv. XL. 51, cujus si verba sequimur, alterum praeterea Apollinis Medici templum vicinum quidem priori attamen clara situs notatione distinctum nanciscimur, quod si, ut ille narrat, a. u. DLXXIV aedificandum locatum est, Ciceronis certe tempore exstare poterat. Ita enim Livius in historia censurae illius anni, postquam Lepidum *theatrum et proscenium ad Apollinis, aedem Jovis in Capitolio columnasque circa poliendas albo locasse* aliaque ad ornamentum urbis instituisse narravit, pergit: *M. Fulvius plura et majoris locavit usus: portum et pilas pontis in Tiberim . . basilicam post argentarias novas et forum piscatorium . . et forum et porticum extra portam Trigeminam et aliam post navalia et ad fanum Herculis et post Spei ad Tiberim aedem Apollinis Medici*, unde et veteres et recentiores topographi fere omnes Apollinem Medicum ad ripam Tiberis post forum olitorium collocarunt, ubi Spei templum fuisse satis constat, cf. Liv. XXI. 62 pluraque apud Sachsium p. 424 — Nardinum enim tacere praestat, qui quod eum in tertiam decimam regionem transfert, ne si navalia quidem contra acutissimam Beckeri sententiam illic relinqueremus, Spei templum cum his conjungi Livius juberet — neque adeo causis illius aedis aedificandae caruerunt, si quidem Sachsius p. 515 eam prope pontem Fabricium sitam velut vestibulum insulae Aesculapio sacrae fuisse monet, quam aegrotos saepe visere consentaneum fuerit, Urlichsius autem p. 14 haud profecto inepte per ejus pestilentiae occasionem votum esse suspicatur, qua Livius XL. 37 paulo ante civitatem atrocissime conflictatam esse tradit; eodemque incumbit Klausenius l. c. p. 1100, nisi quod is ridiculo errore mille passibus ab urbe remotam ad viam Labicanam ponit, quam Livii verba clare ad Tiberim collocant. Sunt tamen, etiam misso Asconii testimonio, quae in illis Livii verbis offendant, utque fatear me ipsum sine Asconii indicio integritatem eorum in discrimen vocaturum vix fuisse, semel tamen monitus non dubito, quin cetera quoque suspicionis argumenta per se satis gravia sint, ut etiam sine circulo in demonstrando Asconii auctoritatem a minacissimo hoc scopulo tueri liceat. Et primum quidem hoc pro certo constat, nusquam praeterea aut

templi hujus aut locationis mentionem in urbe Roma fieri, hariolaturque Pighius, qui Ann. T. II, p. 338 *hanc aedem multis postea saeculis ibidem permansisse saepiusque ob vetustatem reparatam esse* narrat, inscriptione scilicet fretus, quam quia *ad ipsam fere ripam Tiberis, retro cerdonum plagam* (il Ghetto degli Ebrei, ut videtur), *parieti domus privatae impressam* viderat, ex illius aedis ruinis extractam putavit, quasi non ex altero templo in pratis Flaminiis itidem vicinis peti potuisset, praesertim quum non *Medico Apollini* sed simpliciter *Sancto* aedem a Memmio Vitrasio Orfito praef. urbis provisam esse testetur! Longe profecto cautior Urlichsius: *da er später nie mehr erwähnt wird, so ist es möglich, dass unter den Häusern und Tempeln, welche Cäsar zum Baue des von August vollendeten Marcellustheaters abbrechen liess, auch dieser sich befand*; cf. Dio Cass. XLIII. 49: τὰς δὲ οἰκίας τούς τε ναοὺς τοὺς ἐν ἐκείνῳ τῷ χωρίῳ ὄντας ὁ Καῖσαρ καθελὼν αἰτίαν ἔλαβεν, ὅτι τε τὰ ἀγάλματα ξύλινα πλὴν ὀλίγων ὄντα κατέκαυσε καὶ θησαυροὺς χρημάτων συχνοὺς εὑρὼν πάντας αὐτὸς ἐσφετερίσατο: at quamvis hac occasione destrui potuerit, ea tamen dubitatio manet, quam ex ipsis Livii verbis accuratius inspectis prodire dixi, num unquam revera exstructum fuerit. Non hoc dico, locari quidem a censore potuisse, non tamen inde sequi, ut unquam perfectum, probatum, dedicatum sit; quanquam certum ne hujus quidem rei testimonium exstat; sed ut talia singulatim enarrari non oportuerit, votum certe, cui solvendo aedem illam Urlichsius factam esse vult, longe aliud invenio apud Livium XL. 37: *decemviri libros inspicere, consul Apollini, Aesculapio, Saluti dona vovere et dare signa inaurata, quae vovit deditque*, ubi si novum templum ab integro exstrui placuisset, id ante omnia commemorari debebat; nunc omnia in veterem Apollinem conferuntur, de novo altum silentium, quod haud scio an adeo argutum sit, ut maximam potius mirationem faciat, quod paucis annis post de novo templo cogitari videmus. Accedit ut ipse ille vetus Apollo in campo Flaminio quamvis non nomine, at certe re et origine itidem medicus fuerit, cui vidimus anno CCCXXI inter alia multa placandae deorum irae avertendaeque ab urbe pestis causa facta aedem pro valetudine populi votam esse, nec si vel maxime fieri poterat, ut idem numen diversis cognominibus in pluribus templis coleretur, ejusdem tamen muneris causa, nisi id munus ad plura urbis loca singulatim spectaret, plura eidem templa vel omnino vel adeo vicina dicari potuisse videntur. Omnium autem gravissimum est, quod aedis Apollinaris mentio cum reliquis aedificiis, quibus apud Livium adjungitur, parum apte congruit.

*Majoris usus* scriptor fuisse ait, quae M. Fulvius censor locaverit, eumque hoc nomine collegae opponit, qui deorum templa ornasset atque auxisset; is igitur ut et ipse velut appendicem reliquorum operum integrum templum locaverit prope eum locum, ubi ejusdem dei aedes et exstabat et a collega modo insigniter amplificata erat? aut ipse Livius vel quem is auctor secutus est, hujus templi majestatem adeo parvi habuerit, ut id cum tabernis, foris, porticibus, aliisque profani usus aedificiis permixtum ad utilitatem potius quam ad religionem publicam retulerit? Credat Judaeus Apella, non ego; qui quo saepius Livii verba intueor, eo certius apud me statuo, aliena ab hoc loco esse verba *aedem Apollinis Medici*, et ea quidem, quae antecedant, *post Spei ad Tiberim*, ad porticum potius pertinere, quam Fulvius ut post navalia et ad fanum Herculis, ita in ea quoque Tiberis ripa, quae post forum olitorium erat, construxerit; nostra autem glossemati deberi, quod quum initio ad explicandam ellipsin in verbis §. 3: *theatrum et proscenium ad Apollinis* adscriptum fuisset, mox solemni librariorum errore alieno loco inculcatum sit. Medicum certe Apollinem eum quoque, qui in campo Flaminio erat, a posterioris aevi grammatico cognominari potuisse, ut a Palatino scilicet distingueretur, ex ipsis quae modo disputavimus apparet; quibus si addideris, quod ex ipsius Asconii scholio prodit, condito in Palatio templo imprimis cavendum fuisse grammaticis, ne si lectores apud antiquum scriptorem Apollinis aedem simpliciter memorari vidissent, statim de Palatina cogitarent, nec glossema, quale deprehendisse mihi videor, ab hoc loco alienum fuisse concedes, eoque facto Asconii eruditionem, qua unum tantum Apollinis delubrum Ciceronis aetate exstitisse docuit, ex omnibus, quibus petebatur, objectionibus salvam sospitemque prodire videbis.

Ab his autem doctissimi auctoris vindiciis etiam magis confirmati ad principem quaestionem revertimur, quomodo Apollo, cujus exiguus tantum ad Augustum usque honor Romae fuisset, non modo locum inter deos urbis tutelares invenerit, verum etiam prae reliquis omnibus cum sola fere sorore Diana in carmine saeculari invocetur. Quid quod haec quoque soli fratri suo locum in hoc carmine debere videtur; quae etsi vetus numen Italicum fuit multisque teste Plutarcho Qu. Rom. c. 3 in urbe delubris colebatur, quorum sanctissimum in monte Aventino jam multo ante quam Apollinis cultus inter religiones populi Romani recipiebatur, a Servio Tullio accepit, tamen et hoc et quod a. u. DLXXIV ab Lepido censore in circo Flaminio dedicatum est (Liv. XL. 52), extra pomoerium habuit, neque

omnino populi Romani potius quam plebis et Latinorum dea haberi potest; cf. Hartung. l. c. T. II, p. 210: *so erkennen wir klar, dass Diana mit den zu Plebejern gewordenen Sabinern und Latinern als deren Schutzgöttinn in Rom eingezogen war und von diesen speciell verehrt wurde, ohne dass die Staatsreligion auf sie Rücksicht genommen oder ein Fest derselben angeordnet hatte.* Postremo ipsa illa munerum confusio, qua Diana in carmine saeculari et pro Luna et pro Ilithyia invocatur, Graecam originem redolet; Romanos enim Lunae cultum a Dianae probe distinxisse recte monuerunt Ambroschius Studien und Andeut. p. 161 et Beckerus de muris et portis p. 77, nec Lucinae nomen illic ad Dianam sed ad Junonem pertinebat; quod si haec omnia nunc in unam Dianam congeruntur, hanc quoque apparet jam non eam tantum dici, quae olim Aventinum Algidumque tenuit, cui nihil cum Apolline deo mere Graeco commune fuit, sed hujus potius germanam, indidem Graecam, quae quamvis facile cum vetere illa Latina coaluisset, nunc tamen non hujus magis merito, quam propter illud consortium appellatur, quo ab Augusto una cum Apolline fratre ac matre Latona in Palatino templo consecrata erat; cf. Propert. II. 31. 16. Atque omnino hoc et ex ipsis Horatii verbis intelligitur et a doctis interpretibus dudum intellectum est, gravissimam in tota hac quaestione de loco Apollinis in carmine saeculari rationem esse templi Palatini, quo ipso ille vix decennio ante intra urbem receptus et in antiquissima ejus parte collocatus erat, cf. S. Lürsenius de templo et bibliotheca Apollinis Palatini, Franequerae 1709. 8; ibidemque carmen nostrum cantatum esse contra Schmelzkopfium recte evicit J. G. Steinerus de Horat. carm. sacc. Confl. 1841. 4, p. 3, assentientibus et Grotefendo in Zeitschr. f. d. Alterth. 1841, p. 902 et Jahnio in N. Jbb. 1842, T. XXXIV, p. 471; at opinor vel sic non ea tantum quaestio restat, quid imperatorem moverit, ut Apollinem potissimum tam augusto in loco consecraret, verum etiam longe gravior illa, cur in saecularibus quoque ceremoniis tam insignes huic partes dederit, cujus nullas antea in iisdem fuisse luculento Varronis testimonio vidimus. Templi enim aedificandi quam Suetonius c. 29 et Dio Cassius XLIX. 15 causam afferunt, partem Palatinae domus fulmine ictam esse, quam a deo desiderari haruspices responderint, etiam si obliviisceremur, omnia hujus generis responsa illis temporibus non magis ad religiones, quam ad occulta in re publica consilia pertinuisse, illud certe amplius quaerendum relinqueret, cur nulli alii ex eorum numero, qui proprie Itali essent, locum divinitus desideratum destinasset, nec quod Lürsenius secundum Proper-

tium de Actiaca victoria cogitavit, quae numen illius promontorii tutelare Romam transferri suasisset, temporum rationes patiuntur, si quidem Vellejus Paterculus II. 81 jam a victoria de S. Pompejo reducem Octavianum templum Apollinis circumque porticus promisisse narrat, quod ab eo singulari munificentia exstructum sit; denique illud semper explicatione eget, cur aliorum deorum ab eodem Augusto magnifice cultorum vel etiam propius ad ipsum pertinentium, ut Veneris Genitricis, cujus aedem a patre Caesare in ejusdem foro inchoatam ipse perfecerat, aut Martis Ultoris, cui ipse templum in proprio foro condiderat, nulla in carmine saeculari mentio exstet, sed omnia ad unum Apollinem ejusque consortes dirigantur, neque adeo tertium tantum ludorum diem, quo carmen illud cantatum est, soli illi dicatum videamus, sed omnino honores ejus cum Jove et Junone itemque Dite patre et Proserpina, priscis Terentinorum praesidibus, prorsus exaequentur. Nimirum vel ante solemne triduum, si Zosimum sequimur, in Palatio aeque ac Capitolio sedentes quindecimviri, quos ipsos *Apollinaris sacri antistites* Livius X. 8 appellat, lustralia populo distribuebant; *ἐνστάντος δὲ τοῦ χρόνου τῆς ἑορτῆς*, ut ipsis antiqui scriptoris verbis utamur II. 5, *θύουσι θεοῖς Διὶ καὶ Ἥρᾳ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ προσέτι γε Μοιραῖς καὶ Εἰλειθυίαις καὶ Δήμητρι καὶ Ἅδῃ καὶ Περσεφόνῃ*, jamque primo ludorum die *εἰς τὸ Καπιτώλιον ἀναβάντες κἀνταῦθα τὰς νενομισμένας θυσίας προσαγαγόντες, ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ κατεσκευασμένον θέατρον ἐλθόντες τὰς θεωρίας ἐπιτελοῦσιν Ἀπόλλωνι καὶ Ἀρτέμιδι*, secundo autem in Capitolio supplicationibus factis, mox tertio rursum *ἐν τῷ κατὰ τὸ Παλάτιον Ἀπόλλωνος ἱερῷ τρὶς ἐννέα παῖδες ἐπιφανεῖς μετὰ παρθένων τοσούτων ὕμνους ᾄδουσι τῇ τε Ἑλλήνων καὶ Ῥωμαίων φωνῇ καὶ παιᾶνας, δι' ὧν αἱ ὑπὸ Ῥωμαίους σώζονται πόλεις, ἄλλα τε κατὰ τὸν ὑφηγημένον παρὰ τοῦ θείου τρόπον ἐπράττετο, ὧν ἐπιτελουμένων διέμεινεν ἡ ἀρχὴ Ῥωμαίων ἀλώβητος*: quibus omnibus comprehensis facile apparet, non in carmine solum nostro, quod uni tantum diei scriptum videri possit, sed in toto saecularium ceremoniarum instituto, quale ab Augusto ad posteriorem aetatem transmissum est, adeo principem Apollini locum datum esse, ut a nullius magis dei nutu et tutela imperii Romani salus pendere videretur. Id vero facile apparet quam mirum accidat in deo, qui non ab his modo solemnibus antea prorsus alienus fuerat, sed omnino priscae Romanorum religioni adeo ignotus erat, ut in vetustis Numae indigitamentis ne nomen quidem ejus exstitisse Arnobius testetur adv. Gentes II. 73; neque illud certe viros doctos fugit, hos ipsos ludos saeculares *ab Augusto insti-*

*tutos potius quam instauratos atque a sequentibus imperatoribus celebratos et forma et fine prorsus diversos fuisse ab iis, qui eodem nomine ante Augustum memorentur*; cf. Orell. ad Horat. T. I, p. 533 et Hartung. l. c. II, p. 97: *somit waren diese Spiele, die von Claudius, von Domitian, und von Severus wiederholt wurden, eine der Kaiserzeit ganz allein eigenthümliche Ceremonie* etc.; de causis autem, quae illum sub Octaviano ad tantum subito honoris fastigium evexerint, neminem memini cui verum suboluisse videatur praeter Jahnium in censura libelli Steineriani N. Jbb. T. XXXIV, p. 472, ubi quamvis pro instituto suo rem ipsam longius persequi non potuerit, tamen et illud prorsus ex nostra sententia monuit, etiam accuratiore inquisitione opus esse, cur Apollo et Diana potissimum in Horatii carmine saeculari invocentur, et lectoribus ad Virgilii Eclogam quartam remissis eam viam indicavit, quae nobis quoque, quoties hac de re diligentius quaesivimus, unice recta visa est. Nam quod Mitscherlichio placuit T. II, p. 645, *subtiliorem rerum naturalium cognitionem effecisse, ut malorum physicorum, maxime pestilentiae et sterilitatis agrorum prohibendae, itemque ubertatis ac sanitatis augendae et conservandae causae a sole et luna arcesserentur*, eoque modo *imminuto antiquo Ditis et Proserpinae honore, Apollo et Diana primas in ritibus saecularibus partes acciperent*, quamvis ingeniose excogitatum sit, ipsum tamen senem venerabilem, cujus ut semper eruditionem et facundiam suspexi, ita nunc humanitatem et candorem per suavissimam necessitudinem coram cognovi — ipsum, inquam, mihi concessurum esse arbitror, carminis Horatiani preces multo minus ad vires sidereas rerumque naturam recte temperandam, quam ad vitam humanam moresque et imperii majestatem spectare, quae ipsa, quo longius rerum cognitio philosophica progressa erat, eo minus ad solis et lunae auctoritatem referri poterant; nec quum praeter Apollinem et Dianam etiam veterum deorum honores illaesi manserint, illi in locum horum successisse videbuntur; sin quis Zosimum secutus, qui saecularia sacra πρὸς λοιμῶν καὶ φθορῶν καὶ νόσων ἀκέσεις συντελεῖν ait, per talem occasionem etiam Apollinem taceri potuisse neget, quem ipsum carmen saeculare *salutari arte fessos corporum artus levare* praedicet, huic soli consilio veteres illae campi Flaminii ceremoniae sufficiebant, novas in Palatio condi opus non fuerat, neque ipsum Horatium illud potissimum sequi inde prodit, quod nec alios deos averruncos memoravit, et illi ipsi Apollinis virtuti vix duos inter septuaginta sex versus destinavit. At, inquiunt, iidem libri Sibyllini hos quoque ludos saeculares fieri carmenque Horatianum a pueris virginibusque lectis

decantari jusserunt, quorum auctoritate olim et ipsi ludi Terentini instituti et templum Apollini pestilentiae avertendae causa conditum est; quod si jam per se nihil magis consentaneum erat quam id numen, cujus cultus ab initio ad salutem civium et valetudinem publicam spectasset, aliquando cum iis ludis conjungi, quibus ipsis prodigia et dirae calamitates originem dederant, externam hujus conjunctionis causam ultro suppeditat Sibyllae indoles, quae ut arctissimo vinculo cum Apollinari religione conjuncta erat, ita eum potissimum Apollinem celebrasse videtur, qualem jam in Iliade mortes et mittere et avertere videmus. Exornavit hanc sententiam imprimis Klausenius l. c. p. 262 sqq., ubi licet non eo usque procedat, ut ipsum Ditem patrem a Sibylla cum Apolline confusum esse credat *(es ist keineswegs glaublich, dass die Sibylle Hades und Apollon vermischt habe)*, idem tamen et primae ludorum Terentinorum institutioni ex illa Sibyllae indole nescio quid Apollinare admixtum esse hariolatur, et in ipso carmine saeculari Apollinem et Dianam propter ea maxime mala invocari contendit, quorum prohibendorum causa illi ludi ab initio instituti fuerint, postremo et illud repetit, quod superius jam refutavimus, de pluribus antiquorum ludorum generibus in Augusti saecularibus permixtis, cf. p. 265: *durch ihre Einwirkung werden die ursprünglich vielleicht verschiedenen Spiele combinirt, und ohne den Dis und die Libera aus ihrem Rechte zu verdrängen, das ihnen sowohl bei den terentinischen Spielen, die wider Seuchen und Prodigien böser Blitze, als bei den taurischen, welche wider Fehlgeburten eingesetzt zu seyn scheinen, von Alters her zugestanden haben wird, ohne Jupiter und Juno, welche bei den taurischen Spielen vermuthlich frühzeitig als Ehegötter angerufen sind, in den Schatten zu stellen, die von der Sibylle geltend gemachten Götter Apoll und Diana allmälig an die erste Stelle gebracht seyn; indem die sibyllinische Auffassung selbst eine Anknüpfung des Apollo an den Dis an die Hand gab, indem Diana als Lucina, Mondgöttinn und Sühngöttinn die beste Befreierinn von Missgeburt und Seuche schien, indem Apoll theils als Seuchengott und Heilgott über die Seuchen gebot, theils als jugendlicher Gott sich zur Vorstandschaft der Uebungen jugendlicher Stärke, welche bei den taurischen Spielen herkömmlich waren, völlig eignete.* In his vero primum quidem illud hominis temeritatem jam satis notat, quod praeposteram Hartungii suspicionem secutus, quem ipse omnia confudisse merito arguit, Taurios quoque ludos non immiscuit tantum, verum etiam longius progressus talia de iis narravit, quorum nemo ex antiquitate auctor est; deinde nec quae de Orcino, si diis placet, Sibyllini

Apollinis ingenio fabulatur, vera sunt, neque ea saecularium Augusti origo aut ex Horatii carmine aut aliunde constat, quae cum Terentinorum institutione aliquo modo comparari possit. Taurios ludos, quoniam prorsus alienos ab hac quaestione censeo, paucis absolvam; quorum nomen quod Hartungius idem cum Terentinis vel Tarentinis esse ait, ipse iis repugnat, quae paulo ante T. II, p. 95 secundum Servium ad Aeneid. II. 140 de vocabulo a *taurea* hoc est *vacca sterili* derivando dixerat; ea vero vacca quod diis inferis immolata esse traditur, ut lues publica in eam hostiam verteretur, quamvis primo aspectu Terentinorum sacrorum simile videatur, tamen et *furvae hostiae* indicium desidero, quo in his nec Varronis nec Valerii Maximi aut Zosimi narratio caret, neque aut *circum Flaminium,* quo Varro L. L. V. 154 ludos Taurios refert, cum *campo Martio,* in quo idem apud Censorinum Terentinos collocat, aut *libros fatales,* unde Servius Tauriorum institutionem repetit, cum Sibyllinis temere confundendos censeo; cf. Mülleri Etrusker T. II, p. 21; denique Terentinos saeculares fuisse etiam Livii Epitome l. XLIX confirmat, Taurios idem XXXIX. 22 a. u. DLXVII per biduum factos esse narrat, cui anno nec Valerius Antias nec quindecimviri apud Censorinum saeculares tribuunt, eosdemque saepius rediisse vel praesens tempus apud Varronem docet: *item simili de causa circus Flaminius dicitur, qui circum aedificatus est Flaminium campum, et quod ibi quoque ludis Tauriis equi circum metas currunt.* Apollinem autem ne quis ipsum propter pestilentias diis inferis assimilet, duas harum causas diligenter distingui oportet, quarum altera in perniciosis terrae exhalationibus, altera in nimio solis aestu fontibusque per calorem exsiccatis et in paludem conversis posita est, utque damnosi utriusque generis effectus iidem sint, salutaris certe vis, quae et ipsa in sole est, apud inferos non reperitur, sed hi piaculis exorandi sunt et quasi vicarias hostias expetunt, in quibus desaeviant, Apollo vero, ubi iram deposuit, ipse morbis medetur, utque Mülleri acumen ad Aesch. Eumen. p. 138 sqq. catharticas et hilasticas ceremonias distinxit, ita ne is quidem Apollinis cultus, quo libera respublica Medicum sive Paeanem prosecuta est (Macrob. Saturn. I. 17), cum eo confundi debet, quo dii inferi in Terento placabantur, nedum Palatinus, qui neque per pestilentiae occasionem conditus erat, neque usquam ita commemoratur, ut medica dei virtus prae ceteris, quas ei Graecorum religio et poëtarum laudes tribuebant, praecipue extollatur. Atque hoc etiam in ipso carmine saeculari existimando gravissimum esse arbitror, quod quantum nos quidem intelligimus, ludorum ab Augusto instituendorum occasio minime ex

eo genere fuerat, quod aut priscis illis Terentinis vovendis, aut priori Apollinis templo in campo Flaminio dedicando, aut ipsis hujus ludis annuis destinandis ansam dedit; immo omnia laeta et prospera recteque composita et optimae spei plena Horatius praedicat, quodque unus Zosimus II. 4 *αὖθις τινῶν συμπεσόντων ἀπο-θυμίων* Augustum haec solemnia instaurasse ait, ipsa verborum ambiguitas scriptorem haec ex priorum exemplorum similitudine collegisse potius quam certa memoria accepisse declarat, praesertim quum ea pestilentia, quam solam Dio Cassius LIII. 33 et LIV. 1 sub Augusti imperio commemorat, saeculares ludos fere sexennio antecesserit, neque Suetonius c. 31 aliam horum causam norit, nisi quod imperator nonnulla ex antiquis ceremoniis paulatim abolita restituerit. Quae quum ita sint, ex omnibus, quae quamvis insigni eruditionis mole Klausenius disseruit, illud tantum retineo, de quo jam ante illum adeoque ex ipso Horatii carmine satis constabat, Sibyllinos libros ita praecepisse, ut cum antiquis ceremoniis Terentinis Apollinis ac Dianae veneratio jungeretur; hoc vero quamvis externam rationem sufficientem habeat in ipsa horum librorum indole, quos jam Niebuhrius T. I, p. 563 edit. tert. semper Graecorum deorum cultum praecipere monuit, Augusti tamen aetate, qua religiosas quoque ceremonias dudum in ambitiosorum consiliorum instrumenta versas fuisse novimus, vel sic quaerendum restat, cur imperator, quem nihil temere egisse in re publica constat, ipsum illud Sibyllae responsum elicuerit, nec si vel maxime ludis edendis popularem gratiam captabat, alios quoslibet, sed hos potissimum saeculares cum Apollinis honore conjunctos instituerit; idque ipsum est, cujus explicationem ex ecloga Virgilii quarta petendam esse dixi. Nimirum, ut duobus verbis eloquar, Augustus ad illud Sibyllae effatum respexisse videtur, quod jam ante pugnam Actiacam ita increbuerat, ut Virgilius eo tanquam noto uti posset, adesse ultimam mundi aetatem, qua aurea saecula reverti novamque hominum progeniem coelitus demitti in fatis esset, eamque sub Apollinis imperio fore; quod quo Virgilius in illo carmine retulerit, nostra nunc non refert; Octavianum certe omnia ostendunt hanc ipsam superstitionem, quae populi ore ferebatur, callide arripuisse et quum aliis rebus tum imprimis Apollinis templo aedificando, quod jam a. DCCXVIII ab eo promissum esse vidimus, id maxime egisse, ut ipsius imperio divina illius oraculi auctoritas accederet, quaeque ad pacem stabiliendam moresque corrigendos instituebat, quasi ipsam Astraeam reducere aureaeque aetatis fundamenta jacere viderentur. Ipsum adeo imperatorem Apollinis habitum ac personam libenter suscepisse multis documentis constat, de quibus cf.

Böttiger. kl. Schr. T. I, p. 58, Missirini in Diss. dell' Acad. Romana d'Archeologia T. II, p. 207 sqq., inque primis Klausenius l. c. p. 1102 sqq., nisi quod hujus ratio, qua Apollinem Vejovi assimilatum Juliae genti a principio proprium fuisse statuit, priorem errorem, quo carminis saecularis deum ex antiquo medico repetiit, nova confusione cumulat, Augustoque, quem ipse in egregia disputatione über die sittliche und politische Beurtheilung des Augustus in Zeitschr. f. d. Alterth. 1834, p. 721 et ingenio et eruditione totum Graecum fuisse arguit, prisci barbarique numinis respectum suggerit, unde neminem alieniorem fuisse constat. Praeclare enim de Apolline Palatino etiam Merkelius ad Ovid. Fast. p. CCXXXV: *hujus imprimis insigne fuit literatum officium: bibliotheca Palatina et certamina musica commemorantur a Dione Cassio; sed consentaneum est ab hoc deo, utpote a Graecis ipsis assumpto, nihil Graecae superstitionis alienum fuisse; habitus est praeterea pro genio quasi imperii et aevi Augustalis;* quod si aliquo vestigio cogeremur, ut novum hujus dei cultum ex privata potius Octaviani superstitione quam ex publico consilio repeteremus, multo probabilior foret Mülleri suspicio in criseos mythologicae specimine in Classical Journal a. 1822 T. XXVI, p. 318, qua ipsam illam prisci Apollinis dedicationem a. u. CCCXXII a C. Julio Mentone consule factam causam exstitisse conjecit, ut Julia gens *sacra, quibus publice instituendis operam navasset, semper in privatis suis haberet.* Verum enim vero huic opinioni nec ipse auctor multum tribuere ausus est, neque, opinor, is erat Octavianus, cujus sublime ac erectum ingenium vetustis potius Juliae gentis religionibus quam novae dominationis illecebris regeretur, sed omnem orbem Romanum animo ac spe comprehendebat, neque ipsa re publica regenda id sequebatur, quod Sulla, ut praeteritae aetatis statum reduceret, sed civitatem velut sui ipsius superstitem nactus futurae regenerationi eam viam muniebat, cujus primordia non a vetere rerum Romanarum memoria sed ab iis rebus ducerentur, in quibus tum maxime homines aut studia aut desideria sua ponerent; quae si dudum a veteris magnitudinis Romanae fundamentis ad peregrinas normas desciverant, eum quoque, qui ruentis imperii rebus novas vires inspirare vellet, Graeca Latinis jungere non minus consentaneum erat, quam Alexander in simili condicione Persicos mores domesticis admiscuit. Servavit antiqua instituta, quatenus non sua ipsa mole corruissent, sed pedetentim ad novos usus traduxit idque donec fieret, iisdem nova adjunxit vel opposuit, in quibus ipsis novi imperii cardo versaretur; utque consulatui principatum, praeturae praefecturam urbis, proconsulatibus et quaestu-

3*

ris legationes provinciarum et procurationes addidit, unde longe plurima ac gravissima negotia pendebant, ita haud scio an data opera ipsius Jovis Optimi Maximi aedi Capitolinae Palatinam Apollinis velut ex adverso objecerit, quae similem numinum ternionem complecteretur ipsiusque imperatoris domo contigua futurae dominationis tutelam simul et quasi argumentum contineret. Neque profecto aptior tutela inveniri poterat novo imperio, quod prorsus immutatis superiorum temporum studiis tuendis potius quam proferendis finibus gloriam petebat Janumque clausisse maximorum triumphorum instar habebat, quam lene illud Graecorum numen, cujus ea potissimum virtus erat, ut omnia recto temperamento componeret, moresque cantu pacisque artibus emolliret et ad bonam frugem redigeret; non medicinae tantum auctor, quanquam hoc quoque munus universa ejus notione comprehendebatur, sed Musarum princeps, qualis in ipso templo citharoedico habitu a Scopa factus stetit, ethicus denique deus suaque quasi persona propositum illud effingens quod Augustus sequebatur, dum res Italas moribus ornaret, legibus emendaret, clarissimorumque ingeniorum monumentis publice colligendis et Graecorum exemplarium imitatione excitanda animorum fervorem in novam viam dirigere conaretur. Talem autem deum quum saecularibus ceremoniis interponeret, insignissimamque harum partem in Palatino Apollinis templo peragi vellet, censemusne nihil aliud eum spectasse, nisi quod priorum saeculorum superstitio sive placandis in Terento diis inferis sive Apollinaribus ludis ad pestilentiam avertendam secuta erat? Callidum fuisse Augustum mimumque vitae prudenter egisse vel ii concedunt, qui magnorum virorum ingenia suo modulo metientes tantorum consiliorum sublimitatem assequi animis non possunt; is igitur ut sola religione ductus, dum pristinam reipublicae libertatem proculcat, aut saeculares ludos instauraverit aut Sibyllae auctoritate id sibi imponi passus sit, ut praeter veterem consuetudinem Apollinem et Dianam cum his conjungeret! Immo verissime Hoeckius Röm. Gesch. vom Verfall der Republik etc. T. I, P. 2, p. 376: *die Augurien und Auspicien sammt den sibyllinischen Büchern erhielten sich, und war auch die Zeit der orthodoxen Gläubigkeit an diese Dinge längst verschwunden, so hing man in Staatsverhältnissen aus Gewohnheit an ihnen, und sie bildeten jetzt in den Händen des Kaisers, wie früher in denen der Magistrate, ein Mittel die Kraft der Regierung zu ergänzen*; hoc igitur consilium si in saecularibus quoque ludis revocandis et cum Apollinis veneratione conflandis investigamus, vix aliud aptius aut manifestius deprehendemus, quam

quod modo indicavi, ut novi saeculi diu sperati principium notaretur, quo ad veteres deos magnitudinis Romanae vindices pacifera Apollinis tutela accederet, quaeque populus ab illo exspectabat, in Augusti cura ac providentia exitum invenirent. Norat hic, identidem antehac novorum saeculorum initia solemnibus ludis celebrata esse; eundem fugere non poterat populum diuturnarum turbarum pertaesum tandem aliquando Saturnia regna exspectare; his autem non, ut nonnullis visum est, eundem iterum Saturnum, sed ipsum Apollinem a Virgilio quoque regem destinari subtilissimus hujus interpres Wagnerus recte defendit in Zeitschr. f. d. Alterth. 1841, p. 740: *aus diesem Allem scheint mir überzeugend hervorzugehn, dass dem richtigen Verständnisse des Dichters zufolge die* ultima aetas carminis Cumaei, *welche jetzt eben mit der unmittelbar bevorstehenden Geburt des erwarteten Knaben eintrete, das goldene Zeitalter sey, und dass dieses unter der Herrschaft Apollo's stehe*; utque concedam Servium, qui et Saturniam aetatem et Apollinis regnum protinus ad Augustum refert, in Virgilii sententia interpretanda errasse, hoc tamen facile apparet, Augustum ipsum, postquam qualiscunque illa spes a Virgilio significata irrita cecidit, nihil prudentius instituere potuisse, quam ut Sibyllinorum librorum ope, qui veterum religionum auctoritatem cum novi effati fiducia conjungebant, eas ceremonias procrearet, quibus non solum priorum temporum caedes et piacula lustrari, verum etiam novorum fundamenta sanciri optimaeque spes de futuris excitari viderentur. Quod cur anno demum DCCXXXVII fecerit, quum imperium ipsius dudum stabilitum esset, decernere non audeo; chronologicas rationes fictas a quindecimviris potius quam sincera rerum memoria nixas esse ex Livii aequalis scriptoris Epit. l. XLIX prodit, qui proxime antecedentes ludos plus quam centum triginta annis prius ante Karthaginis eversionem collocat; veri simillima est suspicio Orellii, proximam celebrandi causam fuisse, quod illo anno primum decennium, in quod senatus ipsi imperium prorogasset, praeterierat, *qua occasione oblata,* inquit, *partim praeclarum felicitatis imperii Romani se principe monumentum posteris proponere, partim Romanis legem suam de maritandis ordinibus commendare statuit*; nec si hos certe fines arctiores esse existimo, quam quibus Augusti consilii magnificentia comprehendi possit, de summa rei ab intelligentissimi interpretis judicio discedo, quo *finem ceremoniae omnino* πολιτικώτατον *fuisse* ait. Ad hunc autem finem quomodo Horatius quoque carmen singulari imperatoris fiducia ipsi injunctum direxerit, secundum ea, quae per totam hanc commentationem disputavimus, adeo clarum esse ar-

bitramur, ut pauca tantum velut corollarii instar adjicienda videantur. Quod enim initio quaerendum posueram, cur Apollo potissimum in illo carmine appellaretur, ad intima Augusti consilia pertinuisse vidimus; cujus si merum Graecum numen fuit, simul etiam apparet, quomodo et Diana illi contra veterem Romanorum morem addi potuerit et propria utriusque munera cum Sole et Luna confusa sint, quibus antiquitus peculiariter sacra fiebant; praeter haec autem, quae plerisque ne explicatione quidem indigere videbuntur, illud quoque explicatur, quod exactissimi judicii virum Godofr. Hermannum offendit in censura libelli Schmelzkopfiani N. Jbb. 1838, T. XXIII, p. 197: *kann man etwas Geringeres und Alltäglicheres von den Göttern prädiciren als c o l e n d i s e m p e r e t c u l t i?* Vere hoc monuit Hermannus, si ii dii invocarentur, qui a primordiis civitatis culti essent; alia vero causa est eorum, qui nuper demum intra pomoerium recepti futuro maxime cultui commendantur, quanquam eadem opera poeta curat, ne prorsus nova eorum religio videatur, sed suo quodam jure locum inter eos, *quibus septem placuere colles,* inveniant. Atque hoc artificium per totum carmen regnat, simillimum ejus, quo ipsum Augustum imperium suum condidisse vidimus, ut, dum prorsus nova et ab antiquo more abhorrentia institueret, antiquarum formarum speciem retineret, unde etiam hic factum est, ut docti interpretes omnia plana et manifesta cernere sibi viderentur, ubi non dubitamus, quin is, qui veteribus religionibus et pristino juri sacro assuetus esset, multa nova atque inaudita deprehensurus fuerit. Mitto Solem, Sabinae prosapiae deum (Festus s. v. Aureliam), in Apollinem conversum, mitto Ilithyiam cum Genitale confusam, ut Lucinae respondeat, quam ipsam nunc Dianam dici, non Junonem, superius monui; at *Apollinis et Lunae opus* esse urbem Romam, eorumque virtute *Ilias turmas litus Etruscum tenuisse,* jam Porphyrio in scholiis negat se videre quomodo Horatius dicere potuerit, *nisi forte,* inquit, *ex lectione Virgiliana hoc accepit, ubi dicitur frequenter Apollinis oraculis instructum Aeneam Italiam petiisse;* nec quem scite Düntzerus Kritik und Erklärung der Oden des Horaz, Braunschweig 1840. 8, p. 51 cum nostro comparat locum Od. IV. 6. 21, aliud probat, nisi Augustalis aetatis poëtas in Aeneae rebus promovendis praeter Venerem Apollinis quoque partes aliquas statuisse, quas tamen neque in sacris Romanorum neque in vulgari memoria deprehendimus. Unicum refugium hic quoque ad Sibyllinos libros patet, quos quum Aeneae mentionem continuisse Dionysii Hal. I. 49 testimonio constet, Müllerus in Classical Journal l. c. p. 315 hujus quoque fatis Apollinem suum immiscuisse suspicatur,

qui praesertim jam apud Homerum Iliad. V. 446 *Aeneam prae ceteris anxie protegat sauciumque in suum ipsius templum delatum matris et sororis medicinae tradat;* Romam tamen eam famam sero translatam esse, quum libri Sibyllini post incendium Sullanum ex Iliade, Sami, Erythris iterum collecti essent, ipse p. 317 concedit, quodque omnino statuit *Aeneadas haud minus Apollinem quam Venerem coluisse,* ipsoque demum Apollinis cultu vel nomen Aeneae Romanorum in ora pervenisse, a Bambergero in Welckeri Rh. Mus. T. VI, p. 99 sqq. ita refutatum est, ut ne priorem quidem illam suspicionem ultra speciem aliquam probabilitatis procedere dixerim. Recte certe hic: *wenn auch die Aeneaden den Cultus des Apollo gleichfalls hatten, so werden doch in der Sage von Aeneas Fahrten nirgends Heiligthümer des Apollo, sondern nur der Aphrodite an ihn geknüpft, und dann lässt sich in Rom durchaus keine Verbindung des Aeneas mit dem Apollocultus und den sibyllinischen Büchern nachweisen; seine Erwähnung in den lezteren erkennt Müller selbst als in späterer Zeit untergeschoben an;* mirumque in modum lapsus est Klausenius in Zeitschr. f. d. Alterth. 1841, p. 565, qui ut Bambergerum refelleret, ad Virgilium refugit, ibique Aeneam Apollini servire arguit, quasi non id ipsum agatur, utrum is veterum religionum famam an eam fabulae formam secutus sit, quam aequalibus ipsique Augusto acceptissimam fore speraret; postremo quamvis hic non ex ingenio oracula illa finxerit, quae jam apud Lycophr. Alexand. v. 1250 aliosque exstare Heynius T. III, p. 116 annotavit, tamen haud scio an Alexandrinorum potius exempla expresserit, qui quum nullam olim coloniam, ut Cicero ait de Divin. I, 1, *sine Pythio aut Dodonaeo aut Hammonis oraculo* missam esse nossent, maximae urbis conditorem Apollinis auctoritate destitui non potuisse idem Heynius T. II, p. LXVII recte monuit. Omnium autem maxime advertere nos debet id discrimen, quod inter Horatii preces et eas intercedit, quas priscae Romanorum rei publicae in festis occasionibus solemnes fuisse ex Valerio Maximo IV. 1. 10 discimus. Is enim narrat *Africanum posteriorem censorem, quum lustrum conderet, inque solito fieri sacrificio scriba ex publicis tabulis solemne ei precationis carmen praeiret, quo dii immortales, ut populi Romani res meliores amplioresque facerent, rogabantur, satis, dixisse, bonae ac magnae sunt, itaque precor, ut eas perpetuo incolumes servent, ac protinus in publicis tabulis ad hunc modum carmen emendari jussisse;* qua votorum verecundia etsi Valerius deinceps reliquos quoque censores in condendis lustris usos esse ait, in saecularibus certe

ludis, quorum extremi, si Livium sequimur, fere septem annis ante Scipionis censuram facti sunt, tale temperamentum nondum adhibitum est, nec sane qui post Scipionem ad rem publicam accesserunt, hujus moderationem sibi proposuerunt, donec Augustus id quod Scipio expetiverat velut ratum faceret, missaque insana finium prolatandorum cupidine omnem curam ad internam imperii incolumitatem converteret. Qua de re insignissimum testimonium exstat Dionis Cassii LVI. 33, qui postquam narravit, quod Tacitus quoque tradit Ann. I. 11, morientem consilium dedisse, *ut contenti praesente fortuna fines imperii ulterius proferre ne cuperent*, *τοῦτο γὰρ*, inquit, *καὶ αὐτὸς ὄντως ἀεί ποτε οὐ λόγῳ μόνον ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἐτήρησε· παρὸν γοῦν αὐτῷ πολλὰ ἐκ τοῦ βαρβαρικοῦ προσκτήσασθαι οὐκ ἠθέλησε*: quantoque majore studio constantiam et integritatem, quam incrementa rei publicae expetierit, ipsius edictum testatur apud Sueton. c. 28, cujus fidem ac sinceritatem nulli dubitationi obnoxiam esse merito judicat Loebellius über das Principat des Augustus in Raumeri histor. Taschenbuch a. 1834, p. 245: *ita mihi salvam ac sospitem rem publicam sistere in sua sede liceat, atque ejus rei fructum percipere, quem peto, ut optimi status auctor dicar, et moriens ut feram mecum spem, mansura in vestigio suo fundamenta rei publicae, quae jecero.* Atque hoc est quod Horatius quoque *bona jam peractis fata jungi* vult Augustumque quamvis *bellante priorem*, eundem tamen *jacentem in hostem lenem* praedicat; sat magna jam est imperatoris auctoritas, cui vel sine bello paucis ante annis Parthi amissa sub Crasso signa restituerant, cujusque *jam Scythae responsa petierunt superbique nuper Indi*; nec si *melius semper in aevum rem Romanam Latiumque felix prorogari* jubet, ad amplificationem imperii spectat, sed ad mores et civilium virtutum augmenta, quas diu neglectas nunc demum *redire audere beatamque copiam pleno cornu apparere* dixerat. Haec omnia autem quomodo ab Apolline potissimum exspectentur, ita tantum intelliges, si missa vi medica, qua sola olim Romae colebatur, totam illam animo comprehenderis, qua inter Graecos insignis erat, eademque causa est Dianae, quae si eo tantum titulo invocaretur, quo dudum in Aventino Algidoque culta erat, vix appareret, quo jure illa pro Junone *subolem producere patrumque decreta super jugandis feminis prosperare* posset; quod si id maxime carminis saecularis interpreti propositum esse debet, ut ostendat, quomodo peregrinae religiones in ipsis Romae sacris tutelaribus locum capere potuerint, aliquid certe ad illius illustrationem nos contribuisse speramus.